DE NOMINUM
OSCORUM DECLINATIONE

CUM

LATINIS COMPARATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

C. STEPHANY

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIV.

Antequam omnes Italiae gentes a Romanis subactae essent, nec non illo tempore, quo tota Italia superata incolae sociorum nomine appellati nondum in Romanorum civitatem recepti essent, multas et diversas dialectos apud eos in usu fuisse notum est. Quum autem omnes Itali, qui quidem ingenui essent, eodem iure uterentur, fieri non potuit, quin eadem quoque lingua in omnibus Italiae regionibus valeret et Oscorum, Umbrorum, Volscorum, Tuscorum, Gallorum sermones una lingua Latina quasi opprimerentur. Neque tamen ita evanuerunt, ut ne vestigia quidem remanerent, ex quibus quamquam sunt exigua et obscura, tamen, quales fuerint illae dialecti a viris doctissimis intelligi potest. Nam quod antiqui proverbio illo significabant: „ex ungue leonem,“ id maxime in doctrina illa probatur a nostris, quae ponitur in linguis comparandis et explicandis. Itaque, quamquam ex illis dialectis quae maxime fere apud Italos divulgatae erant, Samniticam dico et Umbricam, nihil nisi inscriptiones nonnullae et nummi ad nostra tempora remanserunt et perpauca illa, quae Varro et Festus grammatici notaverunt, tamen ita a viris doctissimis dilucide cognitae et explanatae sunt, ut non solum ipsorum verborum formas atque declinationem accurate perspiciamus, sed etiam quasi fontes habendi sint, ex quibus accuratiorem cognitionem ipsius Latinae linguae hauriamus. Quum enim diversas linguas comparantes et differentias atque similitudines perspicientes singulas linguas accuratius cognoscamus, maxime hoc fit earum linguarum comparatione, quae ex eadem quasi stirpe exortae iure „cognatae“ nominantur. Quum adhuc viri doctissimi Italorum dialectos perscrutantes id potissimum studerent, ut verborum significationem explicarent, equidem in hanc magis incubui quaestionem quibusnam

rebus illae Latinae congruerent, aut quomodo differrent in vocibus declinandis. Quum autem neque omnes, qui cogniti sunt, Italici sermones pariter sint explanati neque omnes aeque idonei sint, ex quibus accurationem linguae Latinae cognitionem hauriamus, hoc solum mihi proposui, ut in eum inquiram, qui ad hanc quaestionem summam praebere mihi videtur utilitatem. Qua in re dubium esse non potest, quin Samnitium vel Oscorum dialectus maxime sit idonea. Quod ut demonstrem, pauca mihi praefanda sunt, quamquam prorsus intelligi non potest nisi tota disquisitione finita.

Cum aliorum, tum maxime Oscorum dialecti cognitionem imprimis Theodoro Mommsenio, viro doctissimo debemus, quippe qui admirabili acumine et summa diligentia omnibus fere huius linguae documentis colligendis atque explicandis quasi fundamentum illius doctrinae posuerit. Qui in libri, qui inscribitur „Unteritalische Dialecte," pag. 116, scripsit haec: „Die Sprache selbst hat nicht den Anschein eines ungebildeten Jargons, der nur des nothwendigen Verständnisses wegen aufgezeichnet ward; soviel wir sehen, ist die Formenlehre reiner entwickelt als die römische, die Orthographie consequenter als die der gleichzeitig römischen Urkunden". Cuius rei causam in verbis, quae sequuntur, hanc esse contendit, quod Samnites iam prius quam Romani cum Graecis Italiam inferiorem incolentibus consuetudine coniuncti ab iis litteras didicerint atque ipsi in litterarum studia incubuerint. Quum igitur teste illo viro, qui de Oscorum linguae cognitione optime meritus est, nobis credendum sit, hanc dialectum non modo valde excultam fuisse sed etiam minus corruptas verborum formas quam Romanas, facile intelligimus, quam sit utile, Oscorum nominum ac verborum declinationem cum Latinis comparare.

Accedit quod ex omnibus fere Italicis dialectis monumentorum summa copia extat in Osca. Atque ne ex Umbricae quidem dialecti monumentis, quae quidem novimus, ad propositam nostram quaestionem aequa atque

ex Osca redundat utilitas. Nam quod diximus Oscae linguae formas nonnumquam minus esse corruptas quam Latinas, non idem cadit in Umbricam, id quod vel obiter inquirentibus nobis apparebit. Pro multis exemplis, quae facile possum enumerare, satis est hoc unum afferre:

Dativi sg. terminatio eorum nominum Latinorum, quae primum, quod dicimus, declinationis genus sequuntur, antiquissimis temporibus in -a desinens nonnumquam proferebatur, videlicet ex ae profectum, (cf. Bücheler Grundr. d. lat. Decl., pag. 53). Eiusdem declinationis generis Osca nomina omnia priscam formam retinuerunt: aí diphthongum, Umbrica praebent dativi terminationem e, velut „tute," Ikuvine," „Jovie," alia (Aufrecht & Kirchhoff, Umbrische Sprachdenkmäler I., 111). Priscam formam dativi alterius, quam dicimus, declinationis in oi exiisse exempla quaedam Latina demonstrant a grammaticis notata: „populoi," „agroi". Eadem fere terminatione Osci utuntur („Abbellanúí", „evkluí".) Umbri autem „Tise," „Tefre" dativos formaverunt.

Quamquam mihi propositum est, ut demonstrem, quae sint inter Latinorum et Oscorum declinationes differentiae et similitudines non tamen totam disquisitionem his litteris mandabo, quod iam ex altera parte sola, quae attinet ad nominum declinationem, satis apparet, quam utraque lingua in vocibus formandis ac declinandis sequatur rationem.

Priusquam in singulos casus accuratius inquiram, pauca dicam:

De declinationis nominum generibus.

Antiquos grammaticos Latinos secuti iam nunc quinque esse nominum declinationis genera docemus, quam divisionem illi secundum nominativi casus formam instituerunt. Sed qui rectam divisionem facere velit, ei non nominativi, sed stirpis rationem habendam esse recentioribus notum est. Quum autem nominativum sg. suffixo

non carere videamus neque id in aliis casibus servetur, sequitur, ut, si stirpem vocis cognoscere velimus, illud „s“ vel „m“ quod nominativo adiungitur auferendum sit. His ablatis relinquitur in plerisque ea vocis forma, cui si terminationes affiguntur, fiunt casus, quamobrem ea stirps recte vocatur. Sed non in omnibus res tam facile intelligitur. Quoniam enim non cuique litterae „s“ adiungi potest, fit nonnumquam, ut extrema stirpis littera deleatur; sed e ceteris casibus, quae fuerit stirpis principalis forma, haud difficile concluditur.

In Latina igitur lingua eam rationem sequentes ita definiemus, ut primae esse declinationis ea nomina dicamus, quorum stirpes in a brevem vel productam desinant, alterius, quae in o exeuntem stirpem praebeant (nam in os, non ut postea in us, olim haec terminata esse inveniuntur), tertiae, quae in i vel in consonantem, quartae, quae in u, quintae, quae in e desinant ablato suffixo.

Obiter modo disquirentibus nobis, partitionem illam quinque declinationum cum Oscorum lingua non congruere apparet. Apud eos enim tria modo declinationis genera institui possunt, quae cum primo, altero, tertio Latino consentiunt. Quum igitur in Oscorum sermone nulla nomina reperiantur, quorum stirpes in u vel in e desinunt, quaerendum erit, num apud Italos iam illis temporibus, quibus una utebantur lingua, quinque illae declinationes in usu fuerint, ut doceamur, utrum Latini novas quasdam formas reppererint, an Osci amiserint, quae olim apud eos florebant.

Ac primum quidem de quinta declinatione disseram.

Quum neque apud Graecos neque in Sancrita lingua inveniantur nomina, quorum stirpes e product aterminentur, verisimile est, in lingua Italica quoque nulla fuisse, neque quisquam fuit virorum doctorum, qui de ea re dubitaret. Sed hoc in controversia est, utrum e prima an e tertia derivata sit declinatio quinta. Mihi quidem hoc verisimile esse videtur, in a terminata esse earum stirpium

formas antiquissimas, quae littera remansit in iis vocibus, quae si in ies syllabas desinunt, secundum quintam declinantur, sin in -ia, sequuntur primam. Altera est causa, quod in ceteris quoque casibus utriusque declinationis similitudo elucet. Itaque credamus oportet, Oscos priscum statum servasse neque nomina olim in e desinentia cum aliis confudisse.

Deinde de quarta declinatione quid statuendum sit, quaeramus.

Quum etiam in Latina lingua nomina non ita sint multa, quae secundum quartam declinantur, facile credat quis, ea ne in Osca quidem dialecto omnino defuisse, sed casu quodam fortuito in numero eorum, quae nobis tradita sint, nullas Oscas stirpes in -u desinentes inveniri. Neque tamen omittendum esse mihi videtur commemorare, esse nonnulla nomina, quae quamquam a Latinis secundum quartam declinantur, in Oscorum dialecto alia stirpis terminatione utuntur. Cuius rei haecce repperi exempla:

Lat.	Osc.
manum	manim (III. Decl.)
senatus	senateis (II. Decl.)
usu	üittiuf (I. Decl.)
conventus	kumbennieís (II. Decl.)

De duobus prioribus, „manim, senateis“ dubitari non potest, quin prisca eorum forma in -u terminata fuerit. „Manim“ e „manu-im“ Corssenius, vir doctissimus ortum esse contendit, neque habeo, cur negem. (Kuhns Zeitschr. XI., 336). Item genetivi illius „senateis“ stirpem antiquitus senatu- fuisse similitudine omnium eorum nominum comprobatur, quae eandem prae se ferunt originem, ut actu-, adventu-, conspectu-, alia, quae eodem suffixo utuntur atque Graeca illa, quae sunt ut *μνηστυ- ἀγορητυ- βϜοητυ-* (cf. Leo Meyer, Vgl. Grammatik II., 375), quorum similia etiam in Sanscrita lingua inveniuntur. Nec non in Latina lingua, antequam litteris formae confirmarentur, eadem mutatio stirpium increbescebat. Nam apud

Plautum genetivos legimus quaesti (most. 1107), sumpti (trin. 251), et in inscriptionibus priscae aetatis genetivus „senati“ prolatus est. Cuius confusionis multa afferre possum exempla.

Sed cetera, quae supra enumeravi, sine dubio aliter explicari opus est. In vocibus „ûíttiuf“ et „kumbennieís“ suffixa eadem non esse atque in „usu“ et „conventu“ facile intelligimus. In „uíttiuf“ enim non tu sed -tio radici adiectum est. Quale fuerit in „kumbennieís“ certe explanari non potest, sed quod Osci non raro „nt“ mutant in „nn“ fere idem in hoc usurpatum esse suffixum credemus.

Itaque de hoc certe iudicare non possumus, num nulla in Oscorum sermone fuerint nomina, quorum stirpes in -u exirent, quam ob rem quaestionem illam, utrum amiserint Osci stirpes illas, quae sine dubio aliquando in -u desinentes in Italorum lingua fuerunt, an mutaverint, in medio relinquamus oportet.

Neque desunt nonnulla alia exempla quae demonstrant, non nunquam Osca nomina, quamquam ab eadem radice derivata sint nec non idem significent atque Latina, tamen alio quodam suffixo formata aliud declinationis genus sequuta esse; quae praetereunda non esse videntur:

terum = terra
status = statio.

Falso autem Mommsenius, quod Latine est „lex,“ in Osca lingua secundum alteram declinatum esse censet, quia ablativus traditur „ligud,“ genetivus „ligis“. Sed cum de ablativo agemus, illud „ligud“ tertiae declinationis regulis non repugnare apparebit; genetivus autem magis cum tertia quam altera consentit.

Nomen „cevs,“ quod idem significat quod Latinum „civis“ certe iudicari non potest, num aliam stirpem habeat atque hoc, quia in dubio est, utrum solus nominativus i littera careat an omnes reliqui casus, quippe qui nobis non sint noti.

Sed multa alia nomina Osca non solum radicis forma et significatione cum Latinis congruunt, sed etiam iisdem stirpium suffixis utuntur.

Iam loquemur de casibus Oscorum nominum singulos cum singulis Latinis comparantes.

De nominativo singularis.

In omnibus, quas Indoeuropaeas dicimus, linguis nominativum singularis eorum nominum, quae sunt masculini et feminini generis suffixo-s formari notum est, neutrius generis nomina aut carere suffixo aut -m littera affigenda nominativum sg. formare, quod esse accusativi signum probabile est. Neque tamen in omnibus nominibus illud nominativi suffixum reperitur. Stirpes in -a desinentes, quae sunt primae declinationis, nullae apud Latinos inveniuntur servasse nominativum in -s exeuntem, si quidem illa tempora respiciuntur, quibus litterae maxime florebant. Quum in Sanscrita quoque lingua plurima certe nomina eius generis (scilicet in a longum desinentia) eandem, quam Latina, praebeant formationem nec non apud Graecos eadem lex valere videatur, facile putaverit quis, in Italica lingua antiquissima omnino illud suffixum in his quidem nominibus defuisse. Neque enim in Osca quoque lingua similia quaedam desunt, quae carent -s suffixo. Sed non omnia. Sunt enim apud Mommsenium nonnullae stirpes in -a desinentes, quae illud -s usurpant:

μάρας, tanas (U. D. 227),

quorum utrumque est masculini generis. Quae cum Graecis illis in -*ης* terminatis nominibus masculini generis conferentibus nobis, eandem vel aequalem ea habuisse originem putandum est. Nam et Graeca illa et Osca â longum habent stirpis terminationem. Recte enim hoc ut demonstret attulit causam Mommsenius, quod nisi longum fuisset fieri non potuerit, quin in o mutaretur. Quam ob rem hoc mihi statuendam esse videtur, hanc et in Graeca et in Italica lingua valuisse legem, ut -s iis nominibus

antiquitus adiceretur, quae erant masculini generis et fuisse hoc generis discernendi causa adhibitum.

Neque desunt in Latina lingua quaedam exempla, quae illam opinionem probent. Apud Buechlerum hasce reperio formas (pag. 67):

parricidas, hosticapas,

quae a Festo grammatico e priscis libris notata sunt. — Constat igitur, Oscam dialectum antiquiorem formam integram retinuisse, quae apud Latinos evanuit. Sed non praetereundum esse mihi videtur unum, quod extat, exemplum, quo etiam in Osca dialecto -s illud amitti coeptum esse comprobatur. Nam quod Graece est Ξανθίας, Osci, „Santia" protulerunt. Idem cadit in latinam linguam tempore antiquo, ut pro „Σωσίας" „Sosia" et pro „Πυῤῥίας" „Byrría" diceretur, velut in personis Andriae Terentianae.

Aliae stirpes in -a desinentes, quae sunt feminini generis, congruunt cum Latinis, quod -s suffixo carent, sed differunt hac re, quod a terminatio in o conversa est (quam litteram Osci hoc modo finxerunt = V̇). Pro multis exemplis haec attulisse satis habebo:

Víteliú = Italia
víú = via
molto = multa.

Idem igitur in his nominibus factum esse videtur, quod in Latinis alterius declinationis, quorum stirpes antiquitus in ă desiisse notum est. In iis igitur Latini minus corruptam formam servaverunt, sed ne in his quidem per omnia tempora retinuerunt, quum vivi Itali easdem stirpes plerumque in o exeuntes proferant.

Variae sunt formae nominativi sg. in Oscorum altera declinatione. Cuius nomina quum in Latina lingua plerumque -us terminationem usurpent, quod sine dubio profecta est ab antiqua quadam -as, fere consentiunt cum Oscis, qui iidem -os terminatione nominativi utebantur.

Inveniuntur quoque nonnulla, quae prorsus cum Latinis congruant, praebent enim -us:

praefucus, sipus, facus.

Momsenius solum -os vere Oscum habendum esse contendit, -us falso secundum Romani usus analogiam prolatum. Num recte hoc statuerit dubitat Merguetus (Die Entwickelung der lateinischen Formenbildung p. 28). Sed quum illae formae in nulla alia nisi in Tabula Bantina inveniantur, quam Romae factam esse multis causis probabile est, atque omnes, in ea nominativi sg. alterius declinationis eadem terminatione utantur, apparet, a Romano quodam scriba falso eam fictam esse.

Latinum vero-us, quod iam supra e prisca forma-as ortum esse dixi, non ipsum ex ea natum est, sed, quomodo semper fiebat, a primum in o, deinde in u commutabatur. Nominativi in -os exeuntes vel apud eos scriptores, qui classici dicuntur, non raro leguntur eorum quidem nominum, quorum in terminatione o litterae -v antecedebat (mortuos, equos, servos). Sed initio sexti saeculi urbis prior illa forma converti coepta est, quae apud Oscos omnibus temporibus, quorum quidem usus nobis notus est, servabatur.

Sed aliter mutabatur nominativi forma, ut multo magis saepissime corrupta esse videatur quam Latina, quamquam in hac quoque lingua multa depravationis vestigia apparent quinto et sexto saeculo, antequam lingua litteris magis excoleretur. Ut a Latina incipiamus, in eorum temporum inscriptionibus saepe -s suffixum omissum est. Eam litteram tunc non nisi debili voce expressam fuisse poetarum quoque fragmenta sunt documento, quum „nullu sum“ „iussu sum“ apud scenicos legamus pro „nullus sum“ „iussus sum“. Item -m suffixum in illis nominibus, quae sunt neutrius generis evanescere coepit. Alterum est depravationis exemplum, quod etiam o ipsum nonnumquam eiciebatur -s suffixo servato:

damnas = damna(to)s
termins = terminus
Clodis, Caecilis = Clodius, Caecilius
alis = alius.

Quin etiam tota terminatio-us in eiusmodi nominibus delebatur:

Clodi, Corneli

Quibus praemissis mirum non videbitur, quod in Osca lingua eaedem fere stirpium atque terminationum mutationes occurrunt.

Nullum invenio amissi-s suffixi exemplum apud Mommsenium, sed Corssenius (Kuhn's Zeitschr. XI.) aequalem formam atque Latinas illas „Fourio," „filio," „Terentio" esse Oscum ostendit

Herenniu,

quod nomen aliter aliis locis prolatum est et Latine est „Herennius". Dubitari non potest, quin illa forma „Herenniu" integra vocis stirps remanserit. Cum aliis, quae attuli, exemplis: „damnas," „termins" prorsus consentiunt Osca quaedam:

húzz = hortus
bantins = Bantinus
aadirans = Adiranus
perkens = *Πέρκενος* (Osc.)
púmpaiians = Pompeianus

Sed apud Latinos illae formae in rustico solum et prisco sermone inveniuntur, et priores illae „damnatus," „terminus" restituebantur, quum in litterarum studium Romani magis incumbentes vocum formis corrigendis operam darent, in Osca dialecto correpta illa nomina, quia voce facile efferuntur, magis vigebant.

Cum illis Latinis, quorum stirpibus in io exeuntibus nominativi in is proferuntur, conferenda sund haec:

degetasis, keírennis, *καλινις*,
kuírinis, niumsis, alia.

Quae omnia item formata esse atque Latina illa: „Clodis," „Caecilis" videntur. Sed accuratius inquirenti-

bus nobis aliam quandam rationem secutos esse Oscos apparebit. Quum enim pleniores illae formae „Clodius,“ „alius“ antiquiores sine dubio sint habendi, sequitur, ut ex iis breviores natae sint. Quod quomodo fieri potuit nisi ita, ut primum u littera simili quodam modo voce efferretur atque illud i antecedens, deinde contraherentur vocales? „Clodiüs“ igitur a Latinis olim formatum esse necesse est, tum demum „Clodis“. — Atqui quum quomodo a Latinis illae formae ortae sint non nisi coniectura investigare possumus, apud Oscos ipsae priore formationes extant. Multa enim tradita sunt Osca nomina Latinis similia in -ius desinentibus, in quibus pro u littera aut i, aut e, aut illud í servatum est, quod i pingue recte vocemus Lucilio auctore, cuius sonus ab e et ab i pariter distat. Quoniam u numquam fit e, sequitur, ut iam e principali stirpis terminatione o, derivatae sint Oscae formae in ís, vel is, vel es desinentes. (aadiri-ís, gaavi-ís, πομπτι-ες).

Intelligimus igitur, aliam viam secutam esse Oscam dialectam in his vocibus formandis, quum communis sit utrique linguae terminatio os, in altera autem us in altera littera quaedam prorsus diversa ei substituatur, quae e litterae similis fuit. — Hanc quoque causam esse censeo, cur Mergueti illa opinio iam antea refutata falsa sit habenda, -us terminationem nominativi vere Oscam esse, quam iam Mommsenius secundum Latinorum nominum analogiam in Oscam linguam translatam esse intellexit. Neque enim umquam eiusmodi formae apud Oscos in usu fuerunt.

Pertinent huc etiam illi nominativi, qui sunt neutrius generis quorumque terminatio est -im, quamquam stirpes in -io exeunt. Dubitat Corssenius (Kuhn's Zeitschr. XI., p. 358, sed cf. p. 409), utrum recti sint nominativi putandi

Aisernim, Safinim

(= Aiserniom, Safiniom) an genitivi plurales. Quod supra de nominativis in -is exeuntibus dixi, idem nominativos

hoc esse si non comprobat, at certe non repugnat. Sed de his infra loquemur, quum genetivum pluralem tractabimus. Recte autem explicasse ille mihi videtur, „memnim“ esse ortum e stirpe „memnio.“ — Item Buggeus „medicim“ nominativum sg. esse contendit a stirpe medicio-derivatum.

Iam transeamus ad eas stirpes in -o exeuntes, quae non solum o litteram, sed etiam suffixum amiserunt. Quod in Latina lingua plerumque in iis nominibus accidisse notum est, quorum in terminatione r littera fuit. Pauca modo inveniuntur eiusmodi nomina, totam nominativi terminationem servasse, ut „numerus“. Idem factum esse in Osca lingua verisimile est, sed desunt exempla. Attamen concludere licet, quod in aliis quoque vocibus terminatio delebatur, quae l extremam nominativi litteram praebent:

aukil = Ocellus (?)
mitl = Mutilus vel Metellus
mutíl (cognomen)
paakul (praenomen)
famel = famulus
fiml (cognomen).

Conferendum est cum his unum Latinum nomen, quod apud Ennium legitur: „famul“ (= famulus). Sed certe iudicari non potest, num in aliis quoque Latinis idemfac tum sit. Fuerunt, qui hoc suspicarentur. Corssenius enim „consul“ a stirpe „consolo“ profectum esse censet, id quod refelli non potest, quoniam mutato nominativo facile totum declinandi genus potuit secundum aliorum nominum analogiam mutari.

Sequitur, ut de tertiae declinationis nominibus disseramus, quae sub finem stirpis aut consonantem aut i vocalem habent. Quae disquisitio accurate perfici non potest, quia pauca modo extant exempla, quae huc pertinent. In Latina lingua non omnibus stirpibus in consonantem desinentibus -s suffixum adiectum esse notum est sed meras stirpes pro nominativis usurpari, si quidem

desinant in -l, vel in -n, vel in -r, vel in -s. Num idem factum sit in Osca dialecto, potest dubitari. Quamquam -r litteram cum -s suffixo ne in hac quidem coniunctam esse demonstrant exempla:

embratur = imperator
kvaístur = quaestor.

Sed quum rationem habeamus eorum alterius declinationis nominum „aadirans" „bantins" aliorum, quae non offensos esse Oscos hac commissura consonantium comprobant, non immerito coniectura fieri videtur, in tertia quoque declinatione eodem modo nominativum formatum esse. Coniunctionem consonantium non item apud Oscos atque in Latina lingua factum esse demonstrat exemplum, quod iam ante commemoravi:

húrz = hortus.

Nam in hac t sequente s semper omittebatur, apud illos coalescere videmus t et s, ut fiat z; sed desunt exempla, quae idem factum esse in tertia comprobent. Similiter committuntur c et s, quomodo fit

meddix (= meddic-s).

Aliae eiusdem vocis formae traduntur „meddíss," „meddís," quae differunt a Latina ratione, quum in hac lingua numquam x sub finem vocis posita ita attenuaretur, ut s fieret.

Reliquum est, ut commemorem aliud nomen:

cevs

quod Mommsenius idem esse, quod Latina „civis" recte explanavit. Quum nulla alia sint, quae cum stirpe quadam Latina in -i desinente comparari possint, non potest definiri, utrum huius vocis stirps extremam litteram i amiserit an aliam formam atque Latina antiquitus habuerit.

De nominativo pluralis.

Nominativus pluralis eorum nominum, quae sunt masculini et feminini generis quomodo formatus sit in Osco sermone, ex paucis, quae extant, exemplis satis

accurate colligere non licet. Cuiusque fere declinationis generis unum modo nomen traditum est, cuius nominativus pluralis qualis fuerit certe sciamus, primae:

scriftas,

alterius

degetasiùs,

tertiae

meddíss, aídilis (Zeitschr. II., 56).

Quibus conferendis idem in omnibus suffixum usurpatum esse apparet -s. Sed quum et per se verisimile sit, nominativum pluralis non eodem antiquitus suffixo usum esse quo singularis, et Sanscritae, Graecae, Latinae linguae ratione habita non -s, sed -as principalem eius formam fuisse cognoscamus, coniciamus oportet, hoc idem in Osca lingua valuisse sed vocalem tempore esse deletam vel cum antecedente coaluisse. Sed ne in Latinis quidem omnibus nominibus illud apparere notum est. Quamquam quartae et quintae nominativis, ut „spês,“ „fructûs“ illud suffixum subesse, fieri non potest, quin credamus. Nempe as latine ĕs fieri necesse erat, quod si cum e et u vocalibus confundebatur, fiebat ûs, ês. Verum alia nomina prorsus diversam formationem prae se ferunt. Ut iam praetermittam stirpes in a et in o desinentes, tertiae quoque declinationis nomina longe differre videntur ab illis. Neque enim facile quis crediderit, eorum terminationem ês ex illo ĕs suffixo oriri potuisse. Nam si quidem i + es confunduntur, nihil aliud efficitur nisi îs. Quamquam multi nominativi traduntur in îs desinentes, tamen non priscam atque genuinam formam hanc fuisse censendum est, quia in antiquissimis inscriptionibus alii proferuntur in es exeuntes. Quod vero consonantes quoque eadem utuntur terminatione -ês, nulla causa esse videtur, cur in his e littera a Romanis producta sit.

Quas formationes ut explicarent, viri doctissimi multas protulerunt rationes ac diversas. Boppius, quem alii sequuntur, hanc attulit sententiam (Vergl. Gramm. I., 463), i stirpis eodem modo auctum esse, quo Sanscrita

nomina utuntur, qui ab antiquis Indorum grammaticis „guna“ vocatus est. Quod etiam, quae in consonantem desinunt, eadem terminatione formata sunt ita explicat, ut eorum stirpibus -i adiectum esse dicat, cuius rei ipsum Oscorum usum praebere argumentum contendit. Quod argumentum non e nominativi pluralis forma repetit sed ex accusativo singularis „medicim,“ qui a stirpe „medic“ derivatus sit. Sed quum non desit nominativi pluralis exemplum in Osco sermone (quod Boppium silentio transire miror) hoc potius conferendum esse videtur. Atqui „meddíss“ nullum -i adiecti praebet vestigium. In consonantes secundum analogiam translatum esse illud ês iudicavit Schleicherus.

Sed neque hac neque Boppii illa explicandi ratione, quae non probabilis esse videtur, quum in Latina lingua eiusmodi vocalium amplificationis nulla alia afferri possint certa exempla, in his opus est, si quidem Mergueto assentimur, qui antiquissimis temporibus utrumque declinationis genus (et consonantium et vocalium stirpes) sua terminatione usum esse (vel îs, vel ĕs) persuasurus hisce verbis suam opinionem comprobat: „Indem man nach Verschmelzung der -i und consonantischen Declination auch die Endungen îs und ĕs als blosse Nebenformen ansah und behandelte, konnte auch hier (item atque in ablativo singularis, de quo infra loquemur) durch lautliche Annäherung an ĕs das i von îs in jenen Mittellaut zwischen e und i übergehen; und dadurch eine solche lautliche Annäherung ihre Gleichstellung und Vermischung noch gefördert wurde, so wurde hierdurch zugleich auch das Eintreten der langvocaligen Endung für ĕs und die schliessliche Beseitigung dieses letzteren offenbar erleichtert“. Quam sententiam si sequamur, facillimam habeamus Oscorum illorum nominum explicationem. Nam si in Latina lingua ĕs antiquam suffixi formam fuisse statuimus, quod cum u conjunctum ûs, cum e ês, cum i ís factum sit, consonanti admissum integra manserit, prorsus hanc formationem congruere apparet cum Oscis illis: „med-

díss," „aídilis". Nimirum in illo ĕ evanuit č consonanti in -s attenuata.

Venimus nunc ad alteram, quam dicimus, declinationem. Cuius nominativi pl. explicatio quum facillima esse videatur, si quidem solam Oscam respiciamus, tamen cum Latinis comparata multas praebet difficultates. Nomina illa Latina, quarum in -a vel in -o desinunt stirpes prorsus diversam habere videntur formationem ab aliis. Quoniam i productum eorum est terminatio, nullo modo haec cum Oscis concinere putaverit quis. Sed aliae quoque formae inveniuntur in antiquis inscriptionibus Oscis illis similes, quae desinunt aut in -eis, aut in es, aut in is, ut

libereis, gnateis, magistris, ministris,
modies, duomvires.

Sed tantum abest, ut illis nominativi formatio illustretur, ut magis obscurari videatur eorum comparatione. Nihil nisi hoc unum certe ex iis concludere licet mea quidem sententia, refellendam esse Boppii opinionem, qui (I. p. 457) formas in î desinentes antiquiores esse censet. Quum enim in omnibus Italicis dialectis nominativi inveniantur, qui -s suffixo non carent, sequitur, ut eo quoque tempore hoc iis commune fuerit, quo non iam discesserant. Quid enim? Nonne facilius „s" sub finem vocis positum deleri quam quibus antiquitus deerat adiungi potuit nulla causa perspicua? In explicandis nominativi pl. formis unam, quam Festus notavit, Boppius iniuria praetermisisse mihi videtur:

pilumnoe, poploe, fescenninoe,

quae fortasse sunt antiquissimae omnium earum, quae nobis notae sunt, quia in Saliorum illis carminibus legebantur, quorum verba iam Varronis temporibus ab ipsis sacerdotibus vix intelligebantur. Cuius formae si rationem habemus, terminatio i quomodo orta sit facile explicari potest. Nam si principalem eius formam -oes fuisse statuimus, facile eam -eis vel -es fieri potuisse videmus exemplo vocis „libertas," quae antiquitus „loebertas" fuit.

Extrema littera -s, quum quinto saeculo omitti coepta esset, sexto prorsus delebatur. Hac ratione usi Buechlero quoque non assentiemur, qui duplicem valere in Latinis nominibus formationem, Graecam et Italicam, contendit; nam ex una quadam origine diversissimas illas et Latinorum et Oscorum formas proficisci intelligimus, sed principalem formam apud Latinos corruptam apud Oscos fere integram servatam esse, utpote qui -s suffixum non amiserint.

Simili quodam modo nominativum pl. Oscorum nominum in -a desinentium explicabimus. Congruere „scriftas" cum nominativo „Abellanus" statim apparet. Item in Latina lingua „ae" terminationem ex „aes" natam esse quid est, quin credamus? Quamquam repugnare videntur formae quaedam in -ai desinentes, quae paucae traduntur, velut „tabelai," „datai" (Sen. Cons. de Bacch.). Quibus permoti viri quidam docti -i subesse huic terminationi statuerunt, quo in Sanscrita lingua formantur nominativi pluralis pronominum. Sed recte mihi Merguetus (p. 104) suspicari videtur, „ai" litteras nullum alium sonum significare atque „ae," id quod in Latinis inscriptionibus saepe fieri Corssenius primus comprobavit. Magni quoque momenti mihi esse videtur, quod nomina, quorum stirpes in -e exeunt, eodem -s suffixo utuntur in nominativo pl. formando, quoniam similem in omnibus fere casibus sequantur rationem atque in a desinentes.

De accusativo singularis.

In Sanscrita lingua accusativi singularis suffixum fuit -m, quod si stirpibus in consonantem exeuntibus adiciebatur, a littera augebatur, ut fieret -am. Eodem fere modo in omnibus linguis ex eodem quasi fonte derivatis accusativum sg. formatum esse Boppius recte sine dubio iudicavit, nam quae inveniuntur differentiae facile possunt explicari. Nulla causa esse mihi videtur, cur in prima

declinatione Latina, id quod nonnullis placuit, -am fuisse suffixi principalem formam censeamus, quae cum a stirpis contractum sit. Prorsus congruit Osca huius casus forma cum Latina, quod optime perspicitur nominibus, quae extant Oscis cum Latinis conferendis:

abellanam = Abellanam
alttram = alteram
víam = viam
moltam = multam
nùvlanam = Nolanam
toutam = totam.

Hoc quoque consentiunt quod in utraque dialecto -m suffixi nonnumquam delebatur. Eiusmodi exempla in Latina lingua sunt: „Taurasia Cisanna cepit,“ „magna sapientia posidet,“ Osca haec:

vía Pompaiiana = viam Pompeianam.

Nullum autem exemplum in accusativo invenio stirpis illius variationis, quam in nominativo fieri supra ostendi, qua terminatio commutatur in ù.

Eodem modo, quo primae, alterius quoque accusativus singularis formatur et in Osca et in Latina lingua sola -m littera adicienda. Sed in hoc quoque casu prisca stirpis forma ab Oscis integra plerumque servatur, quam Latini corruperunt o in u mutantes. Servatum est o in hisce exemplis:

dolom = dolum
censtom = censum (part. pf. pass.)
hurtum = hortum
comonom (subst. neutr. gen.)
posmom = pomum
mallom = malum
saahtùm = sanctum
ταυρομ = taurum
tefùrùm (neutr.)
thesavrùm = thesaurum
touticom

Enumeravi in accusativorum casuum numero etiam nominativos neutrius generis, quippe qui eandem quam accusativus formam praebeant in omnibus, quas Indoeuropaeas vocamus, linguis neque iniuria veri accusativi putantur. Omnia, quae attuli, nomina alterius esse declinationis comprobatur cum aliis causis tum congruentia stirpium cum Latinis. Namque e sola accusativi terminatione iudicari non potest, quamnam sequantur declinationem, de qua re infra disseremus.

Jam commemoranda sunt nonnulla alia exempla, quae pro „o" littera u in terminatione praebent:

versarínu (m)
dolum
trutum
trííbum.

Primum eorum „versarínu" in Pompeianis inscriptionibus legitur, quarum formae plerumque corruptae omnium, quae extant, novissimae sunt, quam ob rem pro certis Osci sermonis documentis non semper sunt habendi „dolum" et „trutum" in tabula Bantina inscripta sunt, in qua eadem inveniuntur nominativi illi singularis, de quibus supra disserui, in -us exeuntes. Quibus de causis non dubito Mommsenio assentiri, qui solam um terminationem vere Oscam esse iudicat.

Quae apud Mommsenim enumerantur nominum tertiae declinationis accusativi singulares, omnes terminatione -im utuntur.

manim
slagím
tiurrí (m).

Sed alia, quorum accusativus in -om desinit, nomina eiusdem esse declinationis explicantur a Corssenio et Buggeo (Kuhn's Zeitsch. V., VI., XIII.):

medicatinom
tanginom,

quorum utriusque stirps consonanti terminatur: „medicatin-," „tangin-". Quae quum eandem praebeant accusativi

formam quam alterius declinationis nomina nec non aliis, qui a stirpe tangin- proficiscuntur: „tangineis,“ „tanginud“ cum ea consentiant, mirum non videtur, quod Mommsenius alteri eas attribuit. Sed quum Corssenius eorum stirpes in consonantes exiisse comprobaverit, nihil est, cur negemus, quoniam accusativum in -om desinere posse Latina et Sanscrita lingua conferendis docemur. In hac enim omnibus consonantibus -am accusativi suffixum adicitur, quod et in om et in em mutari posse sexcentis exemplis constat. Quod in Italicis linguis factum esse si sumamus, difficultatem praebere videatur neque Latinorum neque Oscorum nominum explicatio, ac ne Graeca quidem in -α desinentes accusativi sg. huic sententiae, repugnant, quoniam facillime -m sub finem vocis positum deletur. Atqui stirpes in i desinentes, si vera sit illa sententia, semper -im praebeant necesse esse putaverit quis, quod contra fieri notum est, quoniam in plerisque -em terminatione utebantur Romani. Sed variae sunt causae huius differentiae. Etenim e facilius cum m littera voce exprimitur et in aliis quoque casibus haec duo declinationis genera confunduntur. Quid est igitur, cur non in hoc quoque consonantium suffixum in illas stirpes translatum esse censeamus? Quamobrem non intelligo, qua de causa Buechlerus (28) vir caeteroquin egregius hoc potius statuat, am fuisse priscam terminationem stirpium in i desinentium, quamquam ipse grave quoddam argumentum contra affert. Quamquam enim pauci modo accusativi Latini -im retinuerunt, tamen in adverbiis illis in -im desinentibus antiqua quaedam accusativi terminatio reliqua esse videtur, quae sunt ut „statim“ de stirpe stati- (cf. statio) derivatum et „partim“ (parti-). Nullius momenti esse mihi videtur, quod „autem,“ „item,“ quae sine dubio iam antiquissimis temporibus a Latinis formata sunt, aliam terminationem praebent, quum quae iis subsit radix nesciamus nec si sciremus, causam haberemus, cur in iis -im mutatum esse negaremus eodem modo, quo fiebat in nominibus.

Videntur igitur Osca nomina integriorem statum principalem servavisse, quoniam dubitari non potest, quin -om aetate superet -em, neque confusio illa stirpium in hoc quidem casu valuit, quum -im solis vocalium stirpibus adiungeretur.

Unum vero extat exemplum, quod huic regulae repugnare videtur.

„medicim“

a Mommsenio commemoratur, sed ipse dubitat, utrum sit accusativus singularis, àn genetivus pluralis. Buggeus autem (Zeitschr. VI., 22), cui Corssenius assentitur (XI., 331) recte mihi ita explicasse videtur, esse eum nominativum vel accusativum sg. neutrius generis (= „mediciom“). Quare una, quam Buechlerus affert causa, ut suam de formatione accusativi sententiam comprobet, nulla esse mihi videtur, quia „medicim“ accusativum esse statuens de stirpe „medic“ profectum hoc concludit, in Osca lingua -im terminationem utriusque stirpibus communem fuisse.

Falsam igitur Boppii quoque, quam supra commemoravi, sententiam esse videmus, qui eadem forma „medicim“ argumento usus nobis persuadere conatur in Oscorum casibus quibusdam stirpes i adiecta amplificatas esse et secundam analogiam coniecturam facit, idem in Latinis nominibus factum esse; („vocîs“ acc. pl. igitur derivatum esse censet de stirpe voci-).

De accusativo pluralis.

Suffixi, quod ad formandum accusativum pluralem adhibetur, antiqissimam formam fuisse -ns comparandis omnibus linguis Indoeuropaeis docemur. In theotisca lingua medii aevi nec non in Graecis quibusdam dialectis nonnullae formae integrum illud suffixum servarunt (cf. graece *τόνς* = got. thans). Inter Italicas linguas Osca si non incorruptam, tamen omnium antiquissimam formam retinuit -ss, in qua genuinum n commutatum esse assi-

milatione in -s perspicuum est. Exempla, qui quidem accusativi certe sunt habendi, traduntur haec:

víass
feíhúss (cf. Corssen Zeitschr. II., 57)
leigoss } (Corssen Zeitschr. XI., 416)
loufrikonoss }
teremníss (Mommsen).

Quae Mommsenius affert primae declinationis nomina: „aasas,“ „eituas“ carent altero illo s, quare in Osca quoque dialecto principalem suffixi formam deleri coeptam esse intelligimus, quae in Latina numquam servata est. Unum eiusdem formationis in Latinis nominibus vestigium remansit, quod -as, -os, -us, -es terminationes plerumque producta vocali utuntur. Eandem terminationem in usu fuisse apparet in iis stirpibus, quae in consonantem desinebant, quam in -i desinentes usurpabant, cuius rei explicatio in promptu est. Quomodo enim in accusativo singularis -m illi, quae ceterarum stirpium propria erat terminatio, a adici solebat, si consonantibus affigebatur, ita in hoc quoque casu -ns cum consonantibus per -a litteram coniungebatur, ut fieret -ans suffixum, quod in ês commutabatur, quum s evanescente vocalis produceretur.

Quamnam Osci in eiusmodi stirpibus declinandis viam secuti sint, nescimus, quod nullum extat exemplum. Illud enim, quod supra commemoravi, tertiae declinationis exemplum „teremníss,“ cuius stirpem in i exire statuit Mommsenius, num prorsus cum Latinis congruat, dubitatur. Quum enim in h o c i stirpis servatum sit, L a t i n a, quae cum eo conferenda sunt, plerumque praebent consonantium terminationem ês. At vero non omnes! Notum est, etiam classicos Romanorum scriptores in -ís saepissime accusativos pl. terminasse, atque traduntur a grammaticis multa praecepta, quaenam nomina ea terminatione recte utantur. Quamquam non omnino consentiunt, tamen de hac re dubitari non potest, quin terminatio îs earum stirpium propria fuerit, quae in i desinebant. Ergo consentiunt Latina cum Oscis nomina, si quidem hoc statuimus, illos

in -is desinentes accusativos antiquissimam formam integram retinuisse.

Quae quamquam simplicissima videtur explicatio et quae cum Graecorum et Italorum usu maxime consentiat, fuerunt tamen, qui eam rectam esse negarent, velut Buechlerus non -îs sed -ês fuisse antiquissimam accusativi pluralis terminationem contendit. Dicit in libri, qui inscribitur „Grundriss der lat. Declin.,“ pag. 27 haec: „Im historischen Latein also ist die ältere Endung bei der i-Declination wie bei der consonantischen -es, welche erst auf jüngerer Sprachstufe in ausgedehnterem Masse etwa seit dem 7. Jahrhundert in is übergeleitet ward durch die Mittelform eis,“ et in pag. 29 legimus: „Genauer lässt sich das allgemeine Ergebniss jetzt nicht fassen, als dass die i-Stämme und diejenigen consonantischen, welche aus i-Stämmen entstanden sind, wie lit- nom. sing. lis- im acc. plur. die Endung -es früher in -eis und -is umsetzten“. Quam sententiam ut comprobaret, Buechlerum hoc primum ostendere oportebat, in antiquissimis linguae documentis formas in -is vel in -eis desinentes omnino non reperiri; sed ipse affert exempla quae -eis et -is iam tunc in usu fuisse demonstrant. Neque tamen negari potest, -ês quoque a priscis Romanis usurpatum fuisse. Sed mirum hoc non videtur, quod illis temporibus vel magis iam confusa erant declinationis genera quam postea, id quod maxime cadit in stirpes -i et consonantibus litteris terminatas. Deinde desideramus explicationem apud Buechlerum, quomodo ortum esse existimet illud ês stirpibus in i exeuntibus adiectum. Sed formationis illius quasi historiam requirentibus nobis nulla alia se praebet explicatio nisi haec, antiquissimis temporibus -îns, deinde îs terminationem valuisse, quae priusquam litterae Romae florerent cum altera illa consonantium terminatione confunderetur, ut fieret medius quidam sonus „ei“. Quum autem inprimis grammaticorum studio atque industria principalis formarum integritas restitueretur, îs quoque

revixit, quod facile fieri potuit, quia numquam prorsus evanuerat.

Sequitur, ut Osca accusativi plur. forma antiquior sit quam Latina, quippe quae non solum ipsum suffixum minus attenuatum, sed etiam stirpis extremam litteram fere integram praebeat.

De genetivo singularis et locativo.

Omnia, quae nobis nota sunt, genetivi singularis exempla Osca praebent suffixum -s uno excepto „marai,“ cuius nominativus est „maras“. Quem iam supra tractantes singularem quandam formationem prae se ferre intellegebamus. Quo remoto aequalitatem quandam in hoc casu formando apud Oscos valere apparet, quam in nulla alia cognata lingua reperimus. Atque non solum suffixum, sed etiam tota terminatio duorum certe declinationis generum congruit, alterius scilicet et tertii, quorum utriusque in -eis exit genetivus singularis. Cuius rei priusquam causas indagare conor, exempla enumerabo quae extant:

I. Decl.

eituas
vereias
maimas = maximae
múltas = multae
scriftas = scriptae.

II. Decl.

herecleís
kúmbennieis = conventus
κοττειηις
luvfreis = liberi
niumsieis
sakarakleís
tereís = terrae

III. Decl.

herentateís
iuveís = Jovis
carneis
luvkanateis
maatreís = matris
tangineis (quod Mommsenius alteri tribuit)
ligis

Incertum est, utrum alteram an tertiam sequantur haec:

aadiieís
aeteis
baíteís
cadeis
minstreis
umbrateis.

Ac primum quidem quaerendum erit, quaenam in cognatis linguis cum Osca conferenda sit terminatio.

Suffixum -s in Sanscrita quoque lingua invenitur et in stirpibus, quae in consonantem et quae in vocalem desinant. Illis si subiungitur, a littera augetur. In Graeca lingua eodem suffixo uti omnia nomina notum est exceptis iis, quorum stirpes exeunt in -o et sunt alterius declinationis. Quorum antiquissima terminatio fuit *οΙο*, quam in Homeri carminibus usitatam fuisse scimus. Natam esse eam e Sanscrita -sya, quo utuntur stirpes in a correptum desinentes, Boppius comprobavit (I., 389), *τοιο* igitur ortum esse e *τόσιο* (= skr. tasya). Apparet, cum hoc Oscum genetivi suffixum non conferendum esse.

Iam videamus, quomodo res in Latina lingua se habeat.

Dubium esse non potest, quin idem quod Sanscrita, Latina quoque ea nomina, quorum in consonantem desinunt stirpes, praebeant, id quod multa exempla e prisca lingua tradita demonstrant. Nam quod postea -is erat, antiquitus us fuisse videmus: „nominus,“ „partus“ (=partis),

„hominus,“ „Venerus,“ „Cererus“. Antiquior huius terminationis forma fuit os, quam servavit unum exemplum: „senatuos“.

Unde intelligimus, non solis consonantibus -as terminationem adiectam fuisse. Nomina primae declinationis Latinae tempore, quo litterae florebant, -ae terminationem praebere notum est, quam ex illa -as profectam esse non verisimile esse videtur. At ne in his quidem alius cuiusdam formationis vestigia desunt. Quis enim neget, priscos illos genetivos „ęscas,“ „Monetas,“ „devas,“ „Corniscas,“ „terras,“ quibus vel recentiores scriptores utebantur, quoniam „paterfamilias“ dicere solebant, eandem servasse terminationem, quam in „senatuos“ „nominos“ cognovimus, id quod maxime demonstrat alia illa forma, quae in prisca quadam inscriptione legitur: „Proserpnais“.

Sola alterius declinationis nomina carent illius formationis vestigiis; differunt igitur prorsus ab Oscis.

Sed priusquam in differentias accuratius inquiro, quae inter Oscam et Latinam genetivi formationem esse videantur, de reliquis nominibus quid statuendum sit explanare conabor.

In tertia et quarta declinatione Latina -s suffixum usurpatur, quod consonantibus adiectum fiebat primum as, deinde in os, tum in us, denique in is attenuabatur. De hac re non ambigitur. Sed num vocalibus quoque os vel is iunctum sit, discrepant virorum doctorum sententiae, quia Sanscrita lingua solo -s suffixo in his utebatur. Sed illud „senatuos“ dilucide demonstrat, nec non repugnat Graecorum usus, qui de stirpe *πολι-* *πολι-ος* derivarunt, etiam stirpibus in vocalem desinentibus pleniorem illam terminationem adiectam fuisse. In illis quae in i desinebant Latinis nullum fere illius terminationis vestigium reperitur. Sed Oscum illud: „iuveís,“ quod derivatum est a stirpe „iuvi-“ in Italicis linguis stirpes in i exeuntes non omnino abhorruisse a pleniore illo suffixo comprobat. Nempe hanc terminationem aliter non esse explicandam opinor nisi hoc modo, stirpis extremam litteram cum suffixi quadam vocali coaluisse. Neque enim quam Boppius protulit sententiam, -i stirpis per gunam, quae

dicitur, amplificatam esse probare possum, quia neque aliud eiusmodi formationis apud Oscos reperitur exemplum et „senatuos“ „πόλιος“ demonstrant, in Graecoitalica lingua pleniorem terminationem -as vocalibus quoque adiunctam fuisse. Attamen num inde recte conclusio fiat, Latinos quoque ea antiquitus usos esse in stirpibus, quae i habebant extremam litteram, potest dubitari, quum ne in alteris illis consentiant Osca et Latina dialectus, quae consonantibus terminantur. Pleraeque enim Oscae consonantium stirpes easdem terminationem usurpant: eís, ut

matreís, tangineís.

Excipitur unum, quod Mommsenius falso alteri declinationi tribuit:

ligis.

Jam transeamus ad differentias explicandas, quae inter Latinum et Oscum genetivum singularem alterius declinationis videantur interesse.

Apparet, congruere cum Oscis genetivis primae declinationis: „eituas“ etc. antiquiores illas Latinas formas: „Latonâs,“ „escâs,“ „familiâs“. Quae demonstrant suffixum -as in hac quoque declinatione apud Latinos antiquitus valuisse. (Nam cur Boppius â longam genetivi principalem esse stirpis vocalem censeat, quae in ceteris casibus correpta sit, non intelligo. Si rationem habuisset plenioris illius, quae tradita est, formae: „Proserpnais“ hoc ei statuendum fuerat, a productum ortum esse contractione stirpis et suffixi vocalium.) Neque tamen est quisquam, qui ex his recentiores illas in -ae exeuntes derivatas esse credat. Sed qualis huiusmodi genetivorum fuerit origo intelligimus aliis quibusdam, quae Ciceronis temporibus obsoletae apud Plautum iam paucae leguntur: „magnái rei publicái,“ apud Ennium: „Albái longai, silvái“ (Buechler, pag. 37). Jam diu viris doctissimis intellectum est, in his alium quendam casum cum genetivo confusum esse, locativum videlicet, cuius suffixum in Sanscrita lingua fuit -i. Cuius rei gravissimum est argumentum, quod multi genetivi casus localem notionem

semper servarunt, oppidorum vocabula nec non alia huius declinationis nomina, ut (domi) militiaeque, terrae (marique). Quae diversorum casuum confusio in Osca lingua non facta est.

In hac enim non solum integra genetivi forma sed etiam locativus ipse remansit, cuius exempla tradita sunt haec:

I. Decl.

viaí mefiaí (in media via).

II. Decl.

akeneí
alttreí
comonei
muinikeí
tereí
thesavreí
frentreí.

In tertia declinatione deesse videtur locativus quum exempla non extent et uno loco (cippus Abellanus 11, 12) ablativus „slaagid" pro locativo prolatus sit. Sed certi nihil inde concludi potest, quod corrupta sunt verba quae antecedunt. Nam quae tradita sunt:

sakaraklúm. herekleís? ?
slaagid. púd. íst
Lat.
sacellum Herculis —
agro quod est

per se sensum non praebent. Quam ob rem coniecturae Mommsenii facere non possumus quin assentiamur, praepositionem quandam deletam esse ante vocem „slaagid". Ne in latina quidem lingua locativi vestigia prorsus desunt in tertia declinatione. Nam quae apud Plantum leguntur: „Tiburi," „Acherunti," „Carthagini," „Sicyoni," „Lacedaemoni" et quod postea quoque in usu erat „ruri" certe locativi sunt habendi. Intelligimus, locativum singularem apud Italos eadem quo Sanscrita lingua usum esse suffixo- sed non in iisdem nominibus

Ea enim Sanscrita nomina, quae a longam extremam stirpis litteram habent, suffixum locativi usurpant âm-. i-terminatio adiciebatur a correptae et consonantibus. Neque tamen i, quod praebent „mefiaí“ „vłaí“ ad Sanscritum illud referendum esse negari potest neque idem valere in Latina prima declinatione. Quomodo genetivi antiquior illa forma in -as desinens locativo quasi oppressa sit, optime Merguetus mihi videtur explicare hisce verbis: „Das Eindringen der Locativform in den Genetiv und die Uebertragung der Bedeutung der letzteren auf ersteren ist wohl so zu erklären, dass der Locativ mit der Zeit allgemeinere Bedeutung und Anwendung erhielt, zuerst theilweise und dann immer ausgedehnter auch an Stelle des Genetivs angewandt wurde, so dass er zuletzt das Ansehn einer zweiten Genetivform gewann und demgemäss gebraucht wurde. Da aber zwei Formen von gleicher Bedeutung überflüssig waren, so hat die Sprache dann wieder eine derselben aufgegeben oder wenigstens als die ungebräuchlichste bei Seite gelassen“.

Eodem modo explicandum esse contendit Merguetus genetivum sg. alterius declinationis Latinae. Quam sententiam cur non probem causas exponam.

Negat ille, quod alii viri doctissimi statuerunt (Corssenius, Schleicherus) nec non Buechlerus suspicatus est (p. 36) -i genetivi ex -as suffixo ortum esse, quamquam potuisse hoc fieri linguae latinae legibus concedit. Nempe quomodo in nominativo pluralis -i natum esse videbamus ex -oes, ita in hoc quoque casu -s deleto -oe potuit sine dubio in -i mutari. Sed nullam fuisse causam dicit, cur in altera declinatione -s evanesceret, quod in ceteris servaretur, quam significatio eadem esset in omnibus. Quamobrem genetivos in -i desinentes locativos habendos esse censet, principalem genetivi formam prorsus evanuisse. Sane locativi notionem subesse formis quibusdam in -i desinentibus constat, „humi,“ „domi,“ „Corinthi,“ „diequinti“ locativos esse quis neget? Ac ne hoc quidem negari potest, illas eadem ratione formatos esse qua Osci

locativi „muínikeí,“ „tereí,“ suffixo i stirpis vocali adiciendo. Quae eadem valuit sine dubio in Graeco illo „οἴκοι,“ quem locativum esse notum est. Neque tamen assentiri possum Mergueto, omnes genetivos locativi suffixo formatos esse. Quaerit ille, cur illi genetivi -s litteram amiserint, quam reliqui retinerent. Cuius rei causam repperisse mihi videor.

Namque quum -s sub finem vocis positum aetate illa, qua nondum litteris quasi firmatae ac statutae erant vocum formae, debili tantum sono efferretur, inter genetivum in îs desinentem, (quod quidem fieri oportebat oes) et locativum alterius declinationis paulum modo intererat. Quamobrem facillime confundi poterant hi casus, quippe quorum significatio non ita esset dissimilis. Hanc igitur viam secutam esse putaverim linguam Latinam, ut antiquitus utroque casu et genetivo et locativo uteretur, quum autem ille similem quandam et formam et signifiactionem haberet atque locativus, cum eo confundebatur. Confirmant hanc sententiam Oscorum genetivi singulares. Apud eos enim inveniuntur, quos supra iam enumeravi, genetivi alterius in -eís desinentes: „sakarakleís,“ „tereís“. Atque cum his congruebant fere, si quidam recte eas definio, priscae illae genetivi sg. Latini formae, quas in -ois desiisse suspicatus sum. In Osca enim terminatione -eís e extrema stirpis littera, ís suffixum est (quod non differt a Latino is, quia i, si quidem vocalem subsequebatur semper fiebat í Mommsenio auctore U. D. d. 212). Sed a Boppio aliter eiusmodi genetivi explicantur. Contendit enim, terminationem -ís Oscam ortam esse e suffixo -si transmutatione litterarum, quod sit Sanscritum illud -sya, quo eodem formata sunt Graeca nomina alterius. Sed quum in Italicis linguis neque ulla huius suffixi vestigia neque eiusmodi litterarum transmutatio inveniantur et maxime quod illi sententiae, quam de genetivi sg. Latini formatione comprobasse mihi videor, repugnat, Boppii explicationem refellendam esse censeo.

Restat, ut de uno illo Osco genetivo loquar, qui caret -s suffixo:

μαραι

μαρας est nomen proprium primae declinationis. Unum est exemplum masculini generis stirpium in a desinentium. Mirum videtur quod hoc ipsum idem praebet suffixum, quod locativi proprium esse intelleximus, imprimis quod nomina propria locativi significationem fere numquam sibi vindicare per se apparet. Quam ob rem huius genetivi formationem item atque Latinum primae declinationis definire certe non licet. Quaenam fuerit eius terminationis genuina forma coniectura sola colligi potest. E tribus illis, quae in Sanscrita lingua usitata erant, suffixis -s, -as, -sya in illo „marai" delitescere videtur -sya. Quomodo enim „tasya" apud Graecos fiebat *τόσιο*, *τοῖο*, nescio an -sya a litterae adiectum fieri non potuerit asia, aia, ai.

Si recte supra disquisivimus varias genetivi terminationes definientes nominumque stirpes investigantes, haec tabella statuenda erit:

	Lat.		Osc.
	I. Decl.		
Gen.	(a-is, âs)	as	a-sia, ai
Loc.	a-i, ae	aí	
	II. Decl.		
Gen.	o-is, o-es, îs, i }	ă-is, eís	
Loc.	o-i, (oe) i }	ă-i eí	
	III. Decl.		
	A. in consonant. d. stirpes		
Gen.	os, us, is	?	
	B. in -i d. stirpes		
	?	(iis) eís	

De genetivo pluralis.

Quas genetivi singularis formationem pervestigantes cognovimus formarum quandam variationem atque incon-

stantiam in latina lingua, in Osca stabilitatem atque aequalitatem, easdem etiam maiores valere videbimus in genetivo plurali formando.

Terminationem duplex genus discernendum est, quorum alterum referamus oportet ad illam, quae in Sanscrita lingua substantivis adicitur, -âm, alterum ad pronominum Indorum terminationem -sâm. Utraque terminatio et in Osca et in latina lingua reperitur. Haec propria est latinae primae et alterius declinationis, Oscae primae, illud usurpatur in tertia, quarta Latina, Osca altera, tertia. At non constat usus Latinae linguae. Excempla huius casus Osca tradita sunt haec:

I. Decl.
egmazum.
II Decl.
abellanum
alafaternum
degvinum
kupelternum
λουκανομ
μαμερτινουμ
nesimum
nuvkrinum
nuvlanum
zicolom.
III. Decl.
tiiatium
safinim?
Aisernim?

Suffixum primae declinationis Oscae „zum“ idem esse quod Sanscritum -sâm probabile est hanc ob causam, quod idem in pronominibus valet; quae quum plerumque primam et alteram sequantur, facile fieri potuit, ut ex iis in substantiva transferretur suffixum. Quod autem Osca forma habet z pro s littera, nihil habet offensionis, quod illi in media quidem voce positae idem fere sonus

erat. Nimirum â vocalis correpta est, id quod ante nasales consonantes fieri solebat (Bopp. I. 496). Dubium esse non potest, quin idem suffixum sit Latinum -rum, quia s in r saepissime vertitur. At hoc non in prima sola, sed etiam in altera usurpatur. Neque tamen in hac nec non in prima declinatione Latina desunt alterius terminationis -âm vestigia. In inscriptionibus sexti saeculi a. u. c. reperiuntur: „deom,“ „Romanom,“ „sovom“. Apud Plantum leguntur haec: „nostrum,“ „socium,“ „deum,“ „meum,“ alia. „Nummum,“ „denarium,“ „modium,“ „iugerum,“ usque ad extremam latinitatis aetatem remanserunt. Extrema littera „m“ saepe delebatur, quod demonstrant exempla, in nummis quibusdam quinti saeculi servata (Büchl. p. 44): „Romano,“ „Calena,“ „Paistano,“ „Aisernino“. — Primae declinationis sunt: „Coelicolum,“ „Graiugenum,“ quae apud Vergilium leguntur. In tertia declinatione et Osca et Latina nullam nisi -um suffixum valuit. Quamquam enim Boppius formas a grammaticis notatas: „boverum,“ „regerum“ ortas esse e stirpibus per i litteram amplificatis ratus -rum suffixum esse iudicat, tamen hanc sententiam nemo fere probavit. Nam, ut alias causas omittam, hoc maxime repugnat, quod in tertiam non cadit quam Boppius ipse causam fuisse dicit in prima et altera declinatione, cur pronominalis terminatio in substantiva transferretur. Dicit enim: „Diese Fortpflanzung der -rum - Endung war um so leichter, als alle Pronomina im Gen. Plur. der ersten und zweiten Declination angehören“. Quamobrem aliter explicandas esse illas formas Buechlero assentior, qui per -er syllabam stirpes auctas esse statuit. Sequitur, ut in tertia Osca et Latina nomina consentiant.

In altera autem evanuit illa, qua Osci utuntur, apud Latinos. Attamen num inde recte conclusio fiat, Oscos semper in hac declinatione integram retinuisse genuinam formam, dubitaverim. Sed variae quae in primis duabus declinationibus apud Oscos et Latinos inveniuntur formae, hoc certe mihi persuaserunt, in Italica antiquissima lingua

utramque terminationem valuisse, sed differt Osca dialectus a Latina, quod in illa prius iam formae quasi confirmatae sunt, quamobrem maior quaedam inesse videtur in ea firmitas atque stabilitas. In singula inquirentibus nobis nonnulla iam notanda esse occurret.

In Latina altera quae suffixo -om utuntur antiquiores sunt iis quae -um praebent. Quod contra accidit in Osca lingua. Fere omnes genetivi pl. in -um desinunt, quamquam in nominativo sg. -os fuisse solam terminationem videbamus. Ac mirum videtur, quod duorum, qui in -om desinentes traditi sunt, alterum „Zicolom" in Bantina tabula legitur, quae inter Oscorum linguae documenta novissimas fere formas praeterea habet. Quod quomodo explicandum sit, nescio. — Deinde ambigitur, num formae „Aisernim," „Safinim" genetivi sint habendi. Causas afferre huc non pertinet; sufficit commemorare, nihil repugnare illorum sententiae, qui genetivos plurales eos esse iudicant. Etenim censendum est nobis, „Safinim" ortum esse e forma „Safini-om," quae contractio vocalium etiam in nominativo fiebat, quum „heírennius" verteretur in „heírennis". Unde colligitur, illas formas aut pro genetivis pl. habendas esse aut, si minus, posse eos ita prolatos esse ab Oscis.

De dativo singularis.

Etiamsi obiter modo Oscos dativos sing. cum Latinis, imprimis cum iis formis, quas antiquissima documenta exhibent, conferamus, hoc primum dilucide cognoscamus: principalem huius casus suffixum fuisse -i. Quamquam in Latinis recentioribus formis illud i non iam semper clare elucet. Deinde hoc alterum satis apparet, in nullo casu Oscos tam incorruptam servasse genuinam terminationem quam in hoc; omnia enim, quae extant, exempla praebent -i suffixum. Quum longum sit omnia enumerare, haecce attulisse exempla satis habebo:

I. Decl.
aasaí = arae
deívaí = deae
pumpaianaí = Pompeianae
fluusaí = Florae.

II. Decl.
abellanúí = Abellano
hurtúí = horto
nuvlanúi = Nolano.

III. Decl.
απελλουνηι = Apollini
diúveí = Jovi
kerri, kerríi
patereí = patri
regatureí = rectori.

Unum modo caret suffixo: „kerrí"; quod a Mommsenio recte ita explicatur, deletum esse suffixum, quod í stirpis extrema litterae esset, quamobrem facile contrahebantur vocales similes.

Sequitur, ut Latina exempla enumerem, quae in hac quoque lingua i valuisse in omnibus stirpibus demonstrant.

Apud Ennium legitur: „terrái frugiferai"; „Menervai," „Loucinai" in inscriptionibus quinte saeculi (Büchl. p. 53). Nonnumquam i obmutuit: „Feronia," „Matuta," „Loucina". Sed quum non prorsus evanuisset, postea restituebatur, ut fieret ae diphthongus. Simili modo suffixum delebatur, si e litteram subsequebatur; „fide," „die," pro his „fidei," „diei" tradita sunt, et plerumque apud scenicos e et i contrahebantur in diphthongum, ut „fidei͡" disyllabum „rei͡" monosyllabum proferretur.

In altera quoque declinatione -i antiquitus stirpibus adiciebatur. Marius Victorinus grammaticus „agroi" a priscis formatum esse narrat et „populoi Romanoi".

In tertia declinatione antiquiores quaedam genetivi formae traditae sunt in -e, vel in -ei desinentes: „patre," „Diove," „Salute," „Marte"; „patrei," „Jovei," „virtutei," „Martei," quarum similibus postea quoque utebantur Romani in hisce phrasibus: „iure dicundo," „aere flando".

Diphthongus igitur illa, quam Oscorum dativi praebent, videtur in antiquissima lingua usitata fuisse. Usurpatur in utraque dialecto in stirpibus i vocali terminatis et consonanti. Quae terminatio quamobrem in illis adhibita sit, facile indagari potest. Nempe contractionem in iis factam esse apparet. Unde colligitur, quum ei diphtongus ab Oscis consonatibus quoque adiciatur, non principale hoc fuisse earum suffixum sed translatum ex iis stirpibus, quae in i vocalem exibant.

Jam quaerendum est, quae fuerit illius, quam Italicae antiquissimae propriam fuisse intelligimus, terminationis origo.

Sunt, qui cum locativo dativum confusum esse contendant, cuius suffixum i fuisse iam supra demonstravimus. Sed genetivum primae vere esse locativum et alterius quoque genetivum eum eo confusum esse comprobasse mihi videor. Atqui quum neque duobus casibus diversis locativum subesse quisquam credat nec non hoc illi sententiae repugnet, quod i antiquitus longum fuit (terraī, frugiferaī), locativi brevis, Boppio assentiemur, qui refert Italicam illam dativi terminationem ad Sanscritum ê (= ai) quo apud Indos dativus sg. formabatur. Quod si statuimus, explicatio nullam habet difficultatem. Nam ai facile in ei transire potuisse quis neget? quod magis iam attenuatum in e (quod apud Umbros et in Latinis quibusdam tertiae fiebat) vel in î mutabatur. Quod igitur etiam consonantium suffixum sonum e et i litteris pariter similem habebat, eo facilius fieri potuit, ut ei diphthongus, quae in i- stirpibus usitata erat, in consonantibus quoque restitueretur,

vel, si mavis, retinebant genuinam sui suffixi formam. Sed hoc verisimile non videtur, quod in ceteris omnibus antiquissima forma ai in i conversa est.

De ablativo singularis.

Solos ablativos sg. Oscos inter se comparantes facere non possumus, quin -d fuisse genuinum ablativi suffixum opinemur. Omnia enim nomina in eo casu formando meris stirpibus -d quoddam adiciunt. Nimirum excipiuntur in consonantem desínentes, quippe quae a vocalem inserant. Quod dixi comprobatur hisce exemplis:

I. Decl.	II. Decl.
akuduniad	amvíanud
egmad	amiricatud
ehtrad	amnúd (ud)
eitiuvad	aragetud
muínikad	búvaianúd
suvad	dollud
toudad.	mallud
	sakaraklud.

III. Decl.

stirpes in -i d. { slaagid, praesentid }

stirpes in conson. d. { tanginud, ligud. }

In altera declinatione pleraque iam u litteram in ablativo praebent, sed in antiquissimis documentis, imprimis in cippo Abellano, qui dicitur, quem Mommsenius sexto saeculo tribuit, -o servatum est.

In tertiae declinationis nominibus enumeravi „ligud," „tanginud," quamquam Mommsenio auctore alteram sequuntur. Sed quum a Corssenio tertiae attribuantur, hanc ob causam ei assentior, quod et genetivus „ligis" multo magis cum tertia declinatione comparari potest nec non alii casus repugnant. Ablativus ipse optime explicatur de stirpibus „tangin-," „lig-" derivatus esse suffixo -ud (at).

Iam videamus, num quod in solam Oscam linguam inquirentes indagavimus, consentiat cum linguarum cognatarum usu.

Ac primum quidem in Sanscrita lingua usurpatum esse suffixum -t (si quidem Boppium sequimur) intelligimus, sed nullae aliae nisi in -a desinentes stirpes id sibi adsciscunt. Dubium esse non potest, quin hoc idem sit atque quo Osci utuntur in omnibus nominibus, quum saepissime Itali Sanscrita suffixa in aliis declinationis generibus usurpent atque Indi ipsi.

Deinde cum Latina lingua Oscum ablativum sg. conferamus oportet. Quamquam in nullis nominibus usque ad classicorum, quos dicimus, tempora remansit, tamen antiquitus omnium ablativorum sg. d fuisse extremam litteram constat. In columna rostrata Duellii, quam a. 494 a. u. c. in foro Romano positam esse notum est, Quintilianus (I. 7, 12) omnibus ablativis sg. -d adiectum fuisse testatur et fragmenta, quae extant, confirmant, nec non „Senatus consultum de Bacchanalibus," quod a. 568 lapidi incisum est, eadem ablativi forma utitur. Pro multis exemplis haec pauca attulisse satis habebo.

praidad Gnaivod senatud
magistratud
marid conventionid
airid dictatored

Iam vero has formas cum Oscis concinere quis neget? Quamobrem in Latina quoque lingua -d fuisse principale suffixum omnibus vocalibus adiectum omnes sine dubio concederent, nisi una quaedam ablativi forma nobis tradita esset, cuius in terminatione longam vocalem illi -d antecedere constat. In columna enim Duellii „marid" hoc modo scriptum est:

marId,

unde intelligitur, i longum fuisse. Quod ut explicarent duas diversas viri docti protulerunt opiniones. Schleicherus

per gunam in ablativo auctam esse stirpis vocalem contendit, corruptam esse eam formam suspicatur Buechlerus. Dicit enim: „Den Verfasser der Duellius-Inschrift, welcher navaled wie dictatord, aber zweimal marid, und zwar mit verlängertem i versah, habe ich in Verdacht, dass er ohne weitere Umstände die zu seiner Zeit üblichen Formen mit einem d versah" (p. 49). Quarum explicandi rationum neutri assentior. Verum hoc potius statuendum esse mihi videtur: Quod omnes stirpium extremae vocales, d littera deleta longae esse reperiuntur, ea ratione explicemus oportet, quam grammatici nostri „Ersatzdehnung" vocaverunt. Item in tertia declinatione i vocalis producta est, ut quum principalis terminationis forma ĭd esset, postea ī fieret. Sed illo tempore, quo iam evanescente d littera formae ī littera terminatae increbescebant, facile fieri potuit, ut scriba formam quandam in īd desinentem fingeret, maxime quod a plebe breviores illae formae efferri solebant, ablativus in d exiens non iam usitatus erat nisi in curiarum genere dicendi. Apparet Oscum et Latinum ablativum non differre inter se nisi quod antiquissimae illae formae in -d exeuntes apud Romanos diu iam obsoletae erant quum apud Oscos semper florerent. Nam nullam repperimus causam, quae cum hac sententia pugnet, fuisse -d genuinum ablativi suffixum apud Italos. Iam hoc unum explicatione egere videtur, quod non solum i vocales sed etiam consonantes -id terminatione utuntur, quas a littera in e attenuata -ĕd suffixum sibi adsciscere consentaneum erat. Sed in his iam antiquitus confusionem quandam terminationum factum esse statuendum erit, quum etiam ĕd terminationem in iis stirpibus nonnumquam usurpatam esse videamus, quae in vocalem desinebant.

Reliquum est, ut alias nonnullas formas commemorem, quas Mommsenius in ablativorum numero habuit: „tribarakkiuf," „uítiuf", „fruktatiuf". Accuratius definit ille, fuisse eos instrumentales casus eodem suffixo formatos quo Graeci in *-φιν* desinentes. Certi quidquam de iis

statuere non licet. Sed hoc quidem probabile esse non mihi videtur, quod et Aufrechtius et Peters suspicati sunt, esse eos nominativos („so dass das f lautliche Erweiterung des schliessenden o sei“). Mommsenii sententia confirmari videtur alio quodam instrumentalis exemplo, quod Corssenius repperit: „sifei,“ de pronominali stirpe derivatum.

De dativo-ablativo pluralis.

In dativi-ablativi pluralis indaganda origine eandem viam sequemur, quam in ablativo singularis. Oscis enim formis inter se comparatis quonam suffixo usae sint cognoscemus, tum e Sanscrita lingua requirenda erit eius antiquissima forma, denique in Latina lingua quomodo mutata sit in quiremus. Ablativos plur. in Osca dialecto hosce habemus tradita:

I. Decl.	II. Decl.
diumpaís	abellanuís
kerríiaís	dekmauniúís
fluuasiaís	kerríiuís
	lígatúís
III. Decl.	maatúís
anafriss (?)	nesimois
ligis (?)	núvlanuís
	zicolois
	feíhúís
	fistlúis

In prima et altera stirpibus adiectum videmus suffixum ís, in nonnullis is. In tertia qualis fuerit accurate cognosci non potest. Quum Momsenius „anafriss“ derivatum esse dicit ab stirpe „amfret,“ vel „anafret“ eodem eam suffixo usum esse videtur opinari, quo ceterae. Item si „ligis“ recte ablativus esse iudicatur a Kirchhoffio hoc suffixo eum formatum esse verisimile est. Quod quin differat a Sanscrita ablativi terminatione bhyas dubitari non potest; alia quaedam requirenda est, quacum consentire videatur.

Quum ablativo multae diversae sint significationes, quas Indi aliis quibusdam casibus exprimere solerent, locativam dico et instrumentalem, cum his quoque Osca illa terminatio conferenda est. Sanscrita nomina in -a desinentia instrumentalem vim per suffixum -is sibi vindicant, quod cum Osco illo prorsus congruere Merguetus recte explicasse mihi videtur. Etenim in Graeca quoque declinatione vestigia illius reperiuntur. Quamquam dativi Graeci suffixum *-σι* locativam habere significationem notum est, tamen primae declinationis dativi (*Ἀθήναις(ι)* certe meri locativi non sunt, habendi quippe qui aliter proferantur („*Ἀθήνησι*“). Illam autem stirpis amplificationem factam esse censet Merguetus, quod antiquitus apud Graecos quoque -is fuerit ablativi-dativi suffixum.

In Latina idem valere videmus prima et altera. Nam quae postea erat -is terminatio in prima orta esse ex ais, in altera ex „ois“ priscae linguae exempla videntur demonstrare. Quam coniectura colligimus genuinam fuisse formam „ois“ in altera transiit in oes, quod Festus notavit:

ab oloes privicloes

tum in eis („castreis,“ „socieis,“ „anneis“ cf. Neue Lat. Formenlehre I. 119), denique in is attenuatur. In prima principalis terminatio „ais“ non extat. Sed in „eis“ desinentes traditae sunt: „taboleis,“ „popliceis,“ „scribeis,“ „noneis“ (Neue I. 31). In paucis quibusdam exemplis -bus adicitur stirpibus in -a desinentibus. Quis vero est, qui in iis antiquam quandam formam servatam esse credat, quum differentiae causa eas adhibitas esse grammatici tradiderint.

Tertiae declinationis terminatio -bus consentit sine dubio cum Sanscrito -bhyas. Quamobrem non esse verisimile dixerit quis, Oscos altera illa usos fuisse in tertia quoque declinatione, quum certa argumenta afferri non possint. Attamen quod in formandis Oscis Casibus maiorem quam in Latinis valere aequalitatem tota dis-

quisitione dilucide perspeximus, equidem hoc potius existimaverim, -is suffixum in omnibus nominibus usurpatum fuisse. Certe nihil huic sententiae repugnat.

Tota disquisitione quid mihi repperisse videar paucis his verbis possum complecti: Duplex est differentiarum genus, quae inter Oscorum et Latinorum nominum declinationes interesse reperiuntur. Alterum est, quod priscum Italicae linguae statum diutius retinebant Osci, id quod perspicitur maxime in genetivo, dativo, ablativo sg., dativo-ablativo pl., utpote quibus antiquissima suffixi forma dilucide cognoscatur (-as, -í, -d, -ís), quum apud Latinos iam diu esset obsoleta; alterum, quod in Oscis casibus formandis aequalitas) variatio apud Latinos quasi prima lex valuisse videtur, cuius rei exempla, quippe quae per totam disquisitionem non pauca attulerim, hoc loco repetere longum est.